

vasse Apostolos, quia nondum eis revelatum erat, neque ipsi inter se satis discussserant aut definierant an gentes, in præputio permanentes, vocandæ essent et admittendæ ad Christi Ecclesiam, vel media circumcissione. Denique id facere potuerunt ex quodam ordine charitatis, ne Judæi scandalizarentur et ita fierent duriores ad Evangelium recipiendam, quia ex antiqua consuetudine vitabant consortium gentium, ut constat ex Act. 11, et ad Galat. 1. Atque ita, quantum ex historia Actorum colligitur, in promulgatione hujus legis hic ordo servatus est, ut primum in Judæa, deinde in Samaria, et deinde in gentibus prædicata fuerit, juxta verbum Christi Actor. 1: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, usque ad ultimum terræ.*

23. *Hinc infertur primo.* — Ex hac ergo resolutione constat legem novam non incepisse obligare Gentiles per se ac proprie usque ad revelationem Petro factam, Actor. 10. Probat, quia lex non promulgata aliquibus, seu pro aliquibus, eos non obligat; sed lex nova non fuit promulgata gentibus usque ad illud tempus: ergo neque illos obligavit. Consequentia evidens est, et utraque præmissa sufficienter est in superioribus probata. Dices, esto verum sit Apostolos illo tempore non prædicasse directe gentibus, nihilominus fieri non potuisse quin multi Gentilium habitantes vel peregrinantes inter Judæos, eorum doctrinam audirent et signa viderent; ergo hoc satis erat ut obligarentur legem Christi suscipere. Respondeo potuisse fortasse aliquos Gentiles illo modo obligari ad credendum et colendum verum Deum, vel etiam Christum, et ad sperandum salutem per ipsum, et consequenter ad illa omnia moralia quæ lex nova præcipit, quatenus per rationem fide illustratam necessaria esse ostenduntur. Nihilominus tamen non obligabantur per se ac proprie ad observationem legis novæ, ut est positiva divina, quia non solum non proponebatur illis necessitas Baptismi, verum etiam neque offerebatur, quia tunc nullus Gentilium habens præputium admittebatur ad Baptismum, usque ad Cornelium; ergo fieri non poterat ut obligarentur ad illum: ergo nec ad reliqua præcepta hujus legis, cum Baptismus sit reliquorum fundamentum.

24. *Infertur secundo.* — *Objectio.* — Ex quo infertur, secundo, ex eo tempore quo facta est Petro dicta revelatio, cœpisse Apostolos libere prædicare Evangelium gentibus, ipsosque Gentiles cœpisse per hanc legem obligari, non

tamen fuisse obligatum totum orbem, sed successive, prout Evangelium promulgabatur. Prior pars manifesta est ex dictis, quia accedente promulgatione nihil amplius desiderari potest ad talem obligationem. Altera vero pars patet etiam ex dictis proxime de modo quo hæc lex obligavit populos Judæorum: nam eadem est proportionalis ratio de populis gentium. Unde licet pauci scholastici distinguant initium obligationis hujus legis respectu Judæorum et gentium, nihilominus illam non negant, et omnes illi qui promulgationem necessariam esse existimant etiam ad obligationem legis divinæ positivæ, necesse est ut illam admittant, supposita historia Scripturæ et testimoniis quæ ponderavimus. Et similiter, qui ad obligationem hujus legis in locis distantibus requirunt temporis successionem, necesse est ut, tam respectu Gentilium quam respectu Judæorum, illam postulent. Et ita possunt pro hac sententia merito citari Bonaventura in 4, distinction. 3, parte 2, articulo 3, quæstion. 2, in fine; Scotus, quæstion. 4; Gabr., distinction. 1, quæstion. 4; imo et etiam D. Thomas in locis in princ. hujus capituli allegatis; et August., epist. 8 et 89, ut superiori libro, cap. 13, ponderavi. Item Bernard., Epist. 77; et Hugo de Sancto Victor., lib. 2 de Sacrament., p. 6, capit. 4. Solum superest difficultas, quia videtur sequi ex dictis etiam nunc non obligare legem gratiæ totum universum, quia nec ab Apostolis promulgatum est Evangelium in toto mundo, nec promulgatum erat tempore Origenis, ut ex illo sumitur tractat. 28 in Matth., nec tempore Augustini vel Ruphini, ut sumitur ex Augustino, epistol. 80, et ex Ruphino, libro primo Histor., capite nono et decimo, nec tempore Bernardi, ut ipse significat libro tertio de Consideration. ad Eugen., ac denique in nostro tempore videtur hoc experientia compertum esse: ergo per omnia hæc tempora lex nova non obligavit totum mundum. Consequens autem admitti non potest, alias in multis orbis partibus potuissent toto hoc tempore salvari infantes sine Baptismo.

25. *Responsio.* — Respondeo negando sequelam, et ad probationem, respondetur distinguendam esse promulgationem a divulgatione seu notitia promulgationis. Nam promulgatio sufficienter facta est ab Apostolis in die Pentecostes et deinceps, cum *in omnem terram exivit sonus eorum*, Rom. 10, juxta verbum Christi: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*, quod saltem per famam prædi-

cationis impletum esse sentit Hieronym., Matthæi 24, ita exponens illa verba Christi: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, et tunc veniet consummatio*, id est, destructio Jerusalem, ut ipse ad litteram exponit, et idem sentit Chrysost., hom. 76 in Matth., et D. Thom. supra dictum locum ad Roman. Fieri autem potuit ut hæc notitia Evangelii per multum tempus vel omnino non pervenerit ad multas mundi provincias, vel saltem non sufficienter. Hoc vero non obstat quominus totum mundum obligaverit post transactum tempus sufficiens ad perfectam diffamationem et notitiam. Unde etiam distinguendum est id quod est per se, ab eo quod est per accidens, et distinguenda est excusatio a carentia obligationis. Per se enim promulgatio publica cum tempore sufficiente ad integram divulgationem est necessaria ad integram obligationem; per accidens autem potest illa divulgatio aut notitia impediri, inde tamen non impediatur obligatio, quamvis oriri possit excusatio. Et ita concedo potuisse plures gentes excusari multo tempore a transgressionem hujus legis, quia licet lex de se jam eos obligaret, ignorantia poterat a culpa excusare. Non tamen potuit ignorantia impedire necessitatem Baptismi nec irritationem alterius remedii; nam hunc effectum lex per seipsam operatur independenter a notitia subditorum. Quod non est inconveniens, nec contra divinam providentiam, quando solum per accidens contingit, et sufficiens promulgatio cum necessaria temporis amplitudine præcessit, quia omnibus legibus hoc commune est, ut ex dictis in superioribus constat.

CAPUT V.

AN LEX NOVA JUSTIFICET VEL ALIOS HABEAT EFFECTUS.

1. *Legem novam justificare, et in hoc superare legem veterem.* — Communis ac certa sententia est, legem novam justificare, et in hoc superare legem veterem, quod non solum jubet præcipiendo, sed etiam juvat, gratiam et auxilium ejus inspirando, ut docuit D. Thom. 1. 2, q. 106, art. 2, et ibi omnes, et ex sacræ Scripturæ expositoribus modernis tradit late Barrad., tom. 1, l. 1, cap. 3. Item Salm. ad Rom. 3, disp. 29, et ad Rom. 7, disp. 6; ex scriptoribus vero contra hæreticos Bell., l. 1 de Verbo Dei, c. 48, et latius l. 4 de Justificat., a principio usque ad c. 6; Stapleton., in Antidoto ad Roman. 3; Valent.,

lib. de Differentia veteris et novæ legis. c. 1. Probari autem solet hæc doctrina ex Paulo, ad Rom. 1, dicente: *Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti*, nam Evangelium idem est quod lex gratiæ: dicitur autem virtus Dei, quia dat vires ad bene operandum, utique per justitiam et auxilium gratiæ. Et huic consonat illud 1 ad Corint. 15: *Nolum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, per quod et salvamini*; salvantur autem homines si justificentur et in justitia perseverent: ergo totum hoc confert Evangelium. Præterea frequenter Paulus docet legem veterem non justificasse, quod supra diximus esse verum de tota lege, etiam ut includente præcepta moralia, cum August. de Spirit. et litter., c. 8 et 17; et in hoc intendit Paulus distinguere legem veterem a nova. In hoc enim sensu dicit ad Rom. 3: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei*, id est, evangelicam, quam c. 8 vocat legem *Spiritus vite in Christo Jesu*; et de illa subjungit: *Liberavit me a lege peccati et mortis*; et infra ait datam esse *ut justificatio legis impleretur in nobis*. Et ita intelligit hæc loca August., l. de Spirit. et litter., c. 4, 8, 14, 16 et 18, et lib. 1 contra duas epist. Pelag., cap. 7 et 21; l. 1 de Pecc. mer. et remis., c. 11; ep. 157 ad Optat.

2. *Objectio.* — *Responsio D. Thom. ex Augustino.* — *Difficultas.* — Non est autem facile ad explicandum quomodo lex nova faciat effectum, quia lex consistit in præceptis; præceptum autem, ut tale est, non justificat, quia non dat gratiam nec vires spirituales; est enim quid extrinsecum objectum, bonum vel malum ostendens, vel constituens, et ita per se spectatum quasi extrinsece se habet ad hominem, sicut objectum: ergo non potest justificare, etiam in lege nova. Nam quoad hoc eadem videtur esse ratio de hac lege quæ de quacumque alia. Ad hanc vero difficultatem respondet D. Thom. supra, ex Augustino, in locis allegatis, in lege nova duo esse, nimirum præcepta, documenta, seu consilia Christi, et spiritum fidei et gratiæ qui in ea communicatur. Quoad priorem ergo partem concedit D. Thom. legem novam non justificare, propter rationem dictam; per spiritum autem gratiæ dicit justificare, et quia hoc posterius est præcipuum in lege gratiæ, ideo simpliciter hæc lex justificare dicitur, juxta hanc declarationem. Et consequenter omnia loca Pauli in quibus sermo est de lege justi-

ficante, intelliguntur ab istis Patribus de lege gratiæ, quatenus est ipsa gratia, sub gratia intelligendo omne auxilium gratiæ quod ad credendum et bene operandum datur. Unde etiam de hac lege secundum dictas ejus partes intelligunt illud 2 ad Corinth. 3 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Nam per *litteram* intelliguntur præcepta et documenta, et quidquid pertinet ad doctrinam exteriorem, sive scriptam, sive verbo traditam : et ideo littera præcise spectata et separata a spiritu non dat vitam, sed potius per occasionem illam tolleretur etiam in lege gratiæ, si separaretur a spiritu. Nomine autem *spiritus* significatur auxilium gratiæ, quod est principium spiritualis vitæ. Statim ergo occurrit vulgaris difficultas, quæ in simili tacta est supra c. 3; nam hoc modo nulla est differentia inter legem novam et veterem, vel naturalem : nam omnibus commune est ut per præcepta, quatenus præcepta sunt, nonificent, ut in dicta sententia supponitur, et omnes communiter videntur docere. Deinde vero est etiam omnibus commune justificare per gratiam annexam præceptis : nam semper lex divina, præsertim quæ de actibus supernaturalibus et in ordine ad finem supernaturalem data est, habuit adjunctum spiritum gratiæ, quia sine illo impleri non posset, et Deus non præcipit impossibilia : omnis autem gratia, cum quacumque lege data, fuit sufficiens ad justificandum, ut constat : ergo nulla est differentia. Accedit quod hoc modo quælibet lex Dei potest etiam appellari lex gratiæ, ratione impulsus ad justitiam, quia semper habet adjunctam gratiam, quæ in lege nova non habet majorem proprietatem legis.

3. *Responsio.*—*Alia differentia.*—Ad hanc vero difficultatem est etiam responsio communis, gratiam convenire legi novæ quasi per se et ex propriis ; antiquioribus vero legibus non ex vi illarum seu per se fuisse conjunctam, sed per respectum ad legem gratiæ ; et ideo legi gratiæ simpliciter tribui justificationem, non vero superioribus legibus, et propter eandem causam non possunt appellari leges gratiæ, quia licet in illis fuerit, non ex illis, sed per respectum ad legem novam. Et propter eandem rationem, omnes qui in illis legibus justificati sunt, ut sic, ad legem gratiæ pertinere dicuntur a divo Thom. supra, et est sententia Augustini in locis statim citandis. Fundamentum autem hujus doctrinæ est, quia nulla gratia data est hominibus a principio mundi usque nunc, nisi per Chris-

tum, juxta illud Actor. 4 : *Neque enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quod intelligendum esse de omnibus hominibus, etiam qui Christum præcesserunt, docet optime August. in epist. 157 ad Optatum, et sumitur ex verbis ejusdem Petri Actor. 15 : *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi, id est, patres nostri : de illis enim locutus fuerat, et illos refert.* Sumitur etiam ex Paulo ad Romanos 3, ibi : *Propter remissionem præcedentium delictorum ;* cui consonat illud ad Heb. 9 : *In remissionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento : et illud 1 Cor. 10 : Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Ubi de hominibus existentibus sub lege loquitur, eosque dicit bibisse de Christo petra et fonte aquæ vivæ, quia per fidem ejus gratiam impetrabant, ut late ostendit August. l. 1 contra duas Epist. Pelag., c. 7 et 21. Unde concludit l. de Peccat. meritis, c. 1 : *Quia gratia Salvatoris operata est in antiquis Sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram quæ jubere tantum, et non adjuvare potuit, pertinebant.* Ob hanc ergo rationem spiritus gratiæ dicitur esse proprius legis novæ, quia data est eo tempore in quo jam auctor gratiæ advenit, et redemptionem hominum consummavit, gratiamque omnibus meruit. Imo idem ipse est auctor hujus legis et gratiæ, et ideo præcipiendo simul præbet gratiam et vires ad præceptum implendum ex vi talis status. Quod non ita erat in lege veteri, quæ secundum illum statum præcipere poterat, non autem gratiam dare; sed mediante fide impetranda erat per Christum legis gratiæ auctorem, ut explicuit Paulus ad Rom. 10. Et ex hac differentia sequitur alia, nimirum, adjutorium gratiæ longe abundantius dari in hoc statu quam in præcedentibus, juxta illud Joan. 7 : *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus,* quod dictum quidem est de speciali Spiritus sancti adventu in die Pentecostes, tamen cum proportionem applicari potest ad abundantiam gratiæ hujus status propriam, quæ in illo adventu significata et quodammodo inchoata est, ut sancti interpretantur. Et ob hanc etiam causam lex hæc merito dicitur per antonomasiam lex gratiæ, et lex justificans, et jugum suave, ac similia, quæ legi veteri attribui non possunt.

4. *Dubium superest.*—Adhuc vero difficul-

tas superest circa hanc sententiam et doctrinam : nam, licet quoad ea quæ affirmat de spiritu gratiæ, et de necessitate illius, et efficacia ejus ad justificandum, et de largitione vel obtentione illius per Christum et fidem ejus, et de discrimine inter veterem legem et novam, quoad hanc partem vera sint recteque satisfaciant, nihilominus quoad aliam partem legis novæ, quæ consistit in collectione præceptorum (quæ in ratione propriæ legis est præcipua), non videtur per illam doctrinam satisfactum, quia non videtur omnino negandum quin lex gratiæ, etiam sic sumpta, aliquo modo justificet ratione sui, et non tantum ratione adjuncti, quod est gratia. Nam si hoc potest commode intelligi et explicari, non videtur negandum, cum ad perfectionem legis pertineat, et hæc perfectio sit maxime consentanea excellentiæ hujus legis, et secundum illam proprius explicetur hic effectus respectu legis novæ, et differentia ejus a lege veteri in eodem effectus.

5. *Responsio.*—*Notandum in quo sensu lex sumatur.*—Videtur ergo satis probabiliter dici posse, in aliquo sensu proprio, convenire legi novæ, per præcepta sua justificare. Ad quod explicandum, adverto legem collectivè sumptam (ut hic loquimur) non solum includere præcepta ut obligantia, sed etiam ut instituentia talem statum legis, et talia fundamenta illius congregationis seu Ecclesiæ pro qua datur talis lex. Talis enim institutio positiva est, et inter effectus legis numeratur, ut supra circa legem humanam et circa legem veterem explicavi, quia non fit sine aliqua obligatione ad talem institutionem servandam. Item sub propria lege non tantum imperium, sed etiam promissio illi annexa comprehenditur ; tum quia accessorium sequitur principale, et sub illius appellatione comprehenditur ; tum etiam quia, sicut comminatio est quædam pars legis pœnalis, ita promissio est pars legis directivæ et favorabilis : unde fit ut, sicut pœna dicitur effectus legis, ita etiam præmium lege promissum inter effectus legis computandum sit, ut in superioribus etiam ostensum est. Ex quo etiam advertere maxime oportet, ut aliquid tribuatur propriæ legi tanquam effectus ejus, non esse necessarium ut ab illa formaliter fiat, sicut fit obligatio (ut multi loquuntur) ; neque etiam ut effective ab illa fiat per seipsam tanquam a causa proxima et per se morali, quomodo irritatio actus, aut pœna, vel inhabilitas aliquando fit immediate per legem ; sed suffi-

cere interdum ut, observatione vel transgressionem legis, talis effectus necessario consequatur ex vi legis, seu institutionis, vel promissionis per ipsam factæ. Sic enim irritatio actus vel pœna est effectus legis, non solum quando per ipsam legem immediate fiunt, sed etiam quando fiunt per judicem secundum legem operantem. Et ratio est clara, quia tunc etiam lex cooperatur ad talem effectum, saltem morali modo impellendo et movendo judicem ad illum.

6. *De modo quo lex nova justificet probatur primo.*—Dico ergo legem novam, etiam ut propria lex est, justificare, cooperando aliquo modo ad justificationem in suo genere, et non excludendo aliam causam, vel formalem, vel efficientem magis propinquam et propriam ejusdem justificationis. Probatur primo, quia per hanc legem instituta sunt sacramenta, quæ ratione talis institutionis habent vim justificandi apud Deum ; ergo hoc titulo vere ac proprie dicitur lex hæc justificare. Antecedens suppono tanquam certum ex Concilio Tridentino, sess. 7, 13 et 14, et ex materia de Sacramentis. Consequentia vero probatur ex declaratione facta, quia effectus ille pendet ex institutione, et institutio ex lege ; ergo lex est causa saltem moralis a qua pendet talis effectus. Item quia talis lex (nostro modo intelligendi et loquendi) quasi obligat Deum, et necessitatem imponit justificandi hominem sic accedentem ad tale Sacramentum ; ergo lex etiam est causa talis effectus in suo genere. Denique declaratur ex proportionem ad legem veterem ; nam illa dicitur justificasse quoad justificationes carnis, ut ait Paulus ad Heb. 9, quia instituebat sacramenta, quæ habebant vim tollendi immunditias legis ; ergo simili modo dicitur lex nova, in suo ordine altiori, justificare spiritualiter et coram Deo, quia instituit sacramenta habentia vim justificandi. Sic dixit Macar. Ægypt., homil. 47 de Allegoriis legis : *Apud illos Baptisma sanctificabat carnem, apud nos autem est Baptisma sancti Spiritus et ignis,* et alia quæ prosequitur. Atque hanc doctrinam tradunt hic Sotus, Medin., Valent. et alii, qui non dicunt solum hoc interesse inter legem novam et veterem, nec propter hanc solam causam legem novam justificare, sed hanc esse unam ex sufficientibus rationibus, et unam ex excellentiis hujus legis supra veterem, et ita doctrina est verissima, et satis consentanea decreto Eugenii Papæ in fine Concilii Florentini.

7. *Probatum secundo.* — Deinde probatur et explicatur assertio, quia hæc lex continet multas promissiones internæ justitiæ et sanctitatis sub conditione alicujus operis; ergo quando conditio impletur, justificatio, quæ mediante tali opere comparatur, recte potest huic legi attribui tanquam promittenti. Consequentia patet ex discursu supra facto. Antecedens vero potest imprimis applicari ad promissiones gratiæ Sacramentis factas, quæ dicuntur esse de conferenda gratia ex opere operato, et sunt propriæ legis novæ. Deinde habet locum in promissionibus factis operibus meritoriis, quæ implentur in justificatione ex merito, seu ex opere operantis: nam illa justificatio recte attribuitur legi gratiæ, quia per suam observationem justificat, ex vi promissionis in tali lege factæ. Neque potest hoc ita attribui legi veteri; nam licet observantia illius facta ex spiritu fidei vivæ justificaret per augmentum gratiæ, tamen promissio illius justitiæ non erat ex tali lege, neque in ipsa lege, ut supra dixi, sed erat ex meritis Christi venturi, et ita quasi participabatur a lege gratiæ, ratione auctoris ejus, quod habet locum etiam in statu legis naturæ, ut supra notavimus. Denique (quod notandum est), cum hæc lex per se et quasi ex propriis promittat spiritualem justitiam sub conditione operis, necessario includit vel promittit spirituales vires, et auxilia necessaria ut possint homines implere opera illa quæ ad talem justitiam necessaria sunt; tum quia alias promissio sub conditione talis operis videretur ficta et inutilis; tum etiam quia auctor hujus legis utrumque suis subditis meruit. Igitur, ratione promissionum per se pertinentium ad hanc legem, omnis justificatio, tam secunda quam prima, et ipsum justificationis initium non immerito potest huic legi attribui. Et quamvis D. Thomas non ita distincte hæc omnia explicaverit, nihil tamen horum negavit. Existimo autem in præceptis hujus legis solum considerasse vim obligandi, et in documentis vim consulendi, vel ostendendi justitiam, et sub hac ratione dixisse legem hanc non justificare. Sub gratia autem comprehendere videtur omnia subsidia gratiæ, inter quæ computari possunt instrumenta per quæ confertur, et promissiones ejus. Verumtamen, quatenus hæc etiam ad legis officium et institutum pertinent, ut declaravi, merito etiam ipsi legi novæ hic effectus in suo genere tribuitur.

8. *Plures spirituales effectus posse huic legi attribui.* — *Peccatorum remissio.* — *Sacramen-*

talis gratia. — *Characteres Sacramentorum, etc.* — *Alii novæ legis effectus.* — Ex quo tandem colligo plures spirituales effectus posse huic legi attribui. Hujusmodi sunt imprimis omnes illi qui sunt effectus Sacramentorum, ut est peccatorum remissio et omnis sacramentalis gratia, sive habitualis sive actualis, et characteres Sacramentorum, ac subinde potestas ordinis, quæ per unum ex Sacramentis confertur: nam omnia hæc dantur ex vi institutionis hujus legis. Imo cum his connexa est etiam potestas jurisdictionis pertinens ad forum Sacramenti poenitentiae, quia non potest illud Sacramentum sine hac potestate subsistere, et ideo in illius institutione includitur hæc potestas seu promissio ejus in generali, respectu Ecclesiæ, licet determinatio seu applicatio talis potestatis ad has vel illas personas fuerit dependens ex arbitrio Christi, et ex alia peculiari institutione. Verumtamen illa etiam determinatio et institutio ad legem novam in tota sua amplitudine pertinet, et ideo hoc etiam titulo talis potestas inter effectus hujus legis computatur. Unde consequenter fit, ut tota etiam spiritualis potestas jurisdictionis, quæ est in Ecclesia pertinens ad ejus externum regimen, et status hierarchicus ejusdem Ecclesiæ cum perfecta monarchia, dici possunt effectus hujus legis; quia omnia sunt a Christo instituta, et quadam immutabili lege stabilita: et ideo hæc et similia dicuntur esse de jure divino legis gratiæ, quamvis non omnia æque primo et immediate sint de jure divino, ut ex propriis locis constat. Denique alia etiam spiritualia bona, quæ ex vi generalium promissionum fidelibus conferuntur, inter effectus hujus legis computari possunt, ut explicatum est. Aliqui etiam huic legi attribuunt omnia privilegia gratiæ, extraordinaria auxilia, et vocationes, etiam miraculosas, quæ in hoc statu legis frequenter communicantur. Sed, hoc licet sit verum ratione auctoris hujus legis, quia hæc omnia abundantissime meruit, et ideo etiam sint valde consentanea statui hujus legis, non tamen ita proprie tribuuntur legi secundum propriam rationem ejus, cum potius supra vel ultra legem esse videantur. Præter hos autem effectus non occurrunt alii qui possint huic legi proprie tribui, quia hæc lex nec promittit bona temporalia, ut talia sunt, nec etiam per se infert irregularitates, neque alias poenas hujus vitæ, neque etiam irritat actus quos lex ipsa naturalis non irritat, ut ex dictis in capite secundo satis constat.

CAPUT VI.

AN POSSIT ALIQUIS IN LEGE NOVA DISPENSARE.

1. *De dispensatione in lege nova.* — *Duplex mutatio.* — *Deum posse in lege sua dispensare.* — Explicatis causis et effectibus hujus legis, dicendum sequitur de proprietatibus ejus; sed inter eas solum illæ quæ ad immutabilitatem ejus pertinent, aliqua explicatione indigent: nam reliquæ, nimirum, quod sit sancta, spiritualis, potens, seu effectrix multorum bonorum, et consequenter quod sit suavis, et similes, ex dictis causis et effectibus hujus legis satis notæ sunt, et in capite octavo aliquid addemus. Nunc ergo immutabilitas explicanda est, quæ mutationi opponitur, et ideo duplex esse potest, sicut duplex est mutatio legis, scilicet, dispensatio et abrogatio, quibus opponuntur indispensabilitas et perpetuitas, et de hac posteriori dicemus in cap. seq.; nunc prior tractanda est. Potest autem sermo esse de dispensatione, vel obtinenda a Deo vel ab homine. De Deo vero nulla est controversia; clarum est enim posse in lege sua dispensare pro suo arbitrio, etiam sine causa: nam si hoc potest legislator humanus in sua lege, multo magis Deus. Imo, licet homo non recte aut licite id faciat sine causa; si Deus id faceret, honestissime et rectissime faceret, tum quia est supremus Dominus, tum etiam quia ejus voluntas est suprema regula bonitatis. Neque obstat quod voluntas sit immutabilis, quia sine sui mutatione potest Deus mutare quæ statuit, et ita ex æternitate potuit habere decretum tollendi obligationem suæ legis ab aliquo in tali tempore, per quod sine sui mutatione cum illo dispensaret. Hujusmodi ergo dispensatio possibilis est de potentia absoluta: nam de lege ordinaria certum est regulariter non concedi, quia Deus vult homines per homines gubernare. Neque admittenda est talis dispensatio, nisi Ecclesiæ de illa constare possit, et per illam approbetur, juxta regulam Innocentii III, in c. *Cum ex injusto*, de Hæret., et in c. *Nisi cum pridem*, de Renuntiati.

2. *Dispensabilitas hujus legis per hominem.* — *Nullum temporalem principem posse in hac lege dispensare.* — Omissa ergo dispensatione divina, quæstio est de dispensabilitate hujus legis per hominem, et tota reducit ad summum Pontificem, nam de cæteris non potest esse controversia. Nam cum auctor hujus legis sit superior omni homine, certum est nullum

hominem posse in hac lege dispensare, nisi per potestatem supernaturalem et spiritualem a legislatore concessam, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi ex ejus voluntate et concessione. Atque hinc certum est nullum temporalem principem, regem, vel imperatorem posse in hac lege dispensare, quia potestas eorum supernaturalis non est, nec spiritualis a Christo concessa; sed est mere temporalis et humana, ad ordinem tantum naturæ spectans, ut supra lib. 3 et 4 ostensum est. Si ergo talis potestas est in hominibus, solum esse potest in Pastoribus Ecclesiæ; ergo maxime in summo Pontifice: nam in illo est suprema spiritualis jurisdictio, et ab eo ad cæteros Episcopos aut Prælatos derivatur, quantum expedit Ecclesiæ, et uniuscujusque muneri et officio conveniens est. Unde, de cæteris Episcopis infra Pontificem, communis sensus doctorum esse videtur nullum eorum posse dispensare in jure divino evangelico, ut statim videbimus. Et ratio reddi potest, quia licet potestas hæc esset necessaria Ecclesiæ, non esset necessaria inferioribus Episcopis, quia existens in summo Pontifice sufficeret, cum usus talis potestatis possit esse rarissimus, et ideo nunquam legimus potestatem hanc esse commissam alicui inferiori Episcopo, etiam Patriarchæ. Denique regula juris generalis est majores Ecclesiæ causas ad Petri sedem esse referendas, c. *Majores*, de Baptismo; dispensatio autem in jure evangelico inter gravissimas causas merito computatur, et ideo tota hæc quæstio ad Petri sedem revocatur.

3. *Prima sententia affirmativa, Papam posse dispensare in omnibus quæ sunt juris divini, exceptis articulis fidei.* — In hoc ergo puncto, prima sententia absolute et indistincte affirmat Papam posse dispensare in omnibus quæ sunt juris divini, præterquam in articulis fidei. Ita loquitur Panormit., in cap. *Proposuit*, de Concess. præb., num. 20, citans Innocentium in cap. *Cum ad monasterium*, de Statu Monachor., ubi dicit non posse Papam sine causa dispensare in iis quæ sunt juris divini, sentiens ex causa posse; et idem sentit Felin. in cap. *Que in Ecclesiarum*, de Const., n. 19 et 20, ubi inter alia ait posse Pontificem ex causa mutare formam Baptismi in hanc: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, quod refert ex Innocent. in c. 4 de Baptismo, in fine, n. 11. Imo idem Felin., in cap. 4 de Const., n. 23, audet affirmare, posse Papam unico verbo creare Sacerdotem, dicendo: *Sis*